

ancipitis sententiae in se omnes conuertisset, 'Florem aetatis'
 inquit, 'Hasdrubal, quem ipse patri Hannibalis fruendum
 praebuit, iusto iure eum a filio repeti censet; nos tamen
 minime decet iuventutem nostram pro militari rudimento
 5 adsuefacere libidini praetorum. An hoc timemus ne Hamil-
 caris filius nimis sero imperia immodica et regni paterni
 speciem uideat et, cuius regis genero hereditarii sint relict
 6 exercitus nostri, eius filio parum mature seruiamus? Ego
 istum iuuenem domi tenendum sub legibus, sub magistratibus,
 docendum uiuere aequo iure cum ceteris censeo, ne quando-
 4 que paruus hic ignis incendium ingens exsuscitet.' Pauci
 ac ferme optimus quisque Hannoni adsentiebantur; sed, ut
 plerumque fit, maior pars meliorem uicit.

Missus Hannibal in Hispaniam primo statim aduentu
 2 omnem exercitum in se conuertit; Hamilcarem iuuenem red-
 ditum sibi ueteres milites credere; eundem uigorem in uoltu
 uimque in oculis, habitum oris lineamentaue intueri. Dein
 breui effecit ut pater in se minimum momentum ad fauorem
 3 conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diuer-
 sissimas, parendum atque imperandum, habilis fuit. Itaque
 haud facile discerneres utrum imperatori an exercitui carior
 4 esset; neque Hasdrubal aliumquemquam praeficere malle ubi
 quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio
 5 duce plus confidere aut audere. Plurimum audaciae ad peri-
 cula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat.
 Nullo labore aut corpus fatigari aut animus uinci poterat.